



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De Sanctorum Reliquijs & sacris imaginibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

ne Laicorum, ita & in Clericorum ieiunio esset à Laicis discretio: hoc ad excitandos omnes Clericos, maximè autem Prælatos & Pastores recensemus, eosq; per Sanctissimum Domini nostri Iesu Christi atq; Saluatoris aduentum obtestamur, vt religiosæ vitæ exemplo, quoscunq; fideles ad obseruantiam sacrorum Canonum, & præceptorum Ecclesiæ inducant, omniq; diligentia vtantur, vt illis omnibus, & ijs præcipuè sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delictus & ieiunia, omniaque quæ faciunt ad pietatem augendam, & certam faciendam vocationem suam, toto corde sectentur.

*Conc. Trid.
sess. 25. De de
licu cibo.
vum. etc.*

DE SANCTORVM RELIQUIIS ET SACRIS IMAGINIBVS.

DE pretiosis Sanctorum Reliquijs, deuotè colendis, ac religiosè conseruandis, titulo de Pastoribus & Custodibus quædam inserta sunt; hoc loco illud decernimus: vt nouæ aut ignotæ Sanctorum reliquiæ non recipiantur, nisi ab Episcopo fuerint approbatæ; & antiq; nequaquam extra capsam ostendantur. In ostendis autem ijs ea adsit grauitas, reuerentia, & pietas, quæ fidem & religionem Christianam præ se ferat, & intuentium animos, omni pietatis deuotione commoueat. Porrò in dilargiendis illis hæc seruetur ratio, vt nemini vnquam donentur, nisi vt loco sacro reponantur; maiori, aut non minori saltè pietatis studio, & prouectione ibidem seruandæ, quàm vbi antea seruabantur, ac notabiles reliquiarum partes, nullus Prælati aut Ecclesiæ rector dare transferendas alicui possit, sine Ordinarij & Capituli Ecclesiæ suæ, seu aliorum Ecclesiæ prouisorum consensu; quibus id permittentibus, donationis huius authenticæ, vnà cum reliquijs, donentur, litteræ & in indice

*Ca. Placuit
De consec.
Diff. 1.
Ca. 2. De re-
liquijs
vener. Sanct.
Conc. Trid.
sess. 25. De in-
uocat. vener.
reliquijs
Sanctor.
sacr. imag.*

Y y

dicere

liquiarum Ecclesiæ, eadem donatio, cum sufficienti reliquiarum donatarum, nec non personæ dantis & accipientis, ac temporis expressione annotetur.

2. Nulla quoque insolita imago, vel in Ecclesia, vel alio loco quomodolibet exempto ponatur, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo.

3. In exprimendis Sanctorum imaginibus, studiosè ac diligenter curetur, vt prototypis quæ representant, iuxta historiæ veritatem, & receptam ac probatam Ecclesiæ traditionem, simillima sint; nec quod religiosum quidam putant, pro cuiusque voluntate, ad representandam viuentis alicuius hominis effigiem, genuina earum forma adulteretur.

*Adolph 3. in
in his quæ in
Cathed. &
Collegat. Ec
cles. inquire
sunt § 54.
pag. 481 c.*

4. In forma, in cultu, & ornatu sacrarum imaginum, abstineatur ab omni procaci venustate, & obscœna pudendaue nuditate æquè ac deformitate; magis enim illa sacras imagines deformant, quam exornant.

5. Imagines, sculpturæ, aulæ, quæ vel obscœnitate, vel gentiliū fabularum exhibitione, aut quacunque alia offensione, intuentium animos à pietatis sensu quoquo modo possunt auertere: nec ad ornatum templorum; nec ad platearum cultum, quando per eas sacræ habendæ sunt supplicationes, vllum occupent locum: & à domibus ac hortis Ecclesiasticorum, picturæ & simulacra omnia exulent, quæ lasciuia, procacitate, aliaue quauis indecentia, à professione pietatis, modestiæ aut grauitatis, hominis Ecclesiastici aliqua ratione dissentiunt.

*Conc. pronin
presidente
Nicol. Cusa.
artic 17 pag.
230. b.
Conc. Trid
loco citat.*

6. Sacræ imagines & sculpturæ, quæ vel vetustate, vel situ, aut quauis alia iniuria factæ sunt deformes; si fieri potest, quàm primum pristinæ integritati atq; decori restituantur. Sin autem, tollantur de locis suis, & vnà cum imaginibus, quæ periculosi erroris occasionem rudibus præbere possent, quiq; apocriphas historias, vel aliquid superstitionis, aut falsi dogmatis præ se ferunt, incinerentur, ac cineres in sacrario sepeliantur.

7. Nec

7. Nec in pavimento Sanctorum imagines pingantur, nec eo loco, vbi aliquando clavis tranfigi poterunt, vel pluuia aut vligine deleri; & licet in muro ex viuo & polito lapide constructo, sacrae historiae, nisi aliud obsit, depingi aliquando poterunt; in muro tamen aut pariete, qui argilla aut calce incrustatus est, cum eiusmodi incrustatura facile decidat, nunquam pingantur, sed paries aut murus huiusmodi, tela linea, aut tabulis politis, artificioseque compactis, picturae excipiendae causa vestiatur.

DE REPRESENTATIONIBVS.

Representationes trium Mariarum, visitantium Dominicum sepulchrum, quae nocte resurrectionis Dominicae in quibusdam Ecclesijs fiunt; cum potius in ijs inueniamus, quod mouere risum possit, & deuotionis intentionem deprimere, quam pietatis aliquem affectum excitare, prorsus intermitteri volumus. 1.

2. In sacris supplicationibus nullae similiter sanctorum, aut sacrarum historiarum, ne ipsius quidem Christi saluatoris, a personatis adolescentibus, aut alijs, representationes fiant, vel quidquam quod possit intuentium animos, ab eo, quod in supplicatione potissimum spectandum est, ad se rapere. *Conc. prou. sub Adolph. 3. in cens. & decretis cap. Nihil propè tam sanctum pa. 451. 452.*

DE INDVLGENTIIS.

Quia clauium potestas à Deo in edificationem fidelium tradita est, non in destructionem: nequaquam per falsas, indiscretas, ac superfluas indulgentias, fideles decipiendi sunt, ac poenitentialis satisfactio eneruenda. Quare in virtute sanctae obedientiae, omnibus ac singulis Ecclesiarum quarumcunque, tam regularium quam secularium Praelatis ac Rectoribus mandamus, vt indulgentiarum 1.